



1749, 22 1/2

29

FACULTATIS JURIDICÆ DECANI

ERNESTI TENZELII, JCTI,

EMINENTISSIMO PR. ELECTORI MOGUNTINO A CONSILII
REGIMINIS, JUDICII PROVINCIALIS ERFURTENSIS ASSESSO-
RIS, AC CIVITATIS CONSULIS PRIMARI,

PROGRAMMA INAUGURALE

QVO

OMNES ET SINGVLOS VNIVERSITATIS PROCERES AC CIVES INVITAT
AD AVDIENDAM

LECTIONEM CURSORIAM Sup. L. 14. C. de Advocat. diversor. Judic.

HACQVE FINITA

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

DE

**INJURIA NOVERCARUM
ACTIVA ET PASSIVA**

A NOBILI ET CLARISSIMO JURIUM CANDIDATO

DOMINO

JOH. HEINRICO SCHMIDIO

MACRO-SAARA VARISCO

IN AUDITORIO JCTORUM MAJORI

D. XV. NOV. ANNI MDCXXIX. HABENDAS,

ET OCCASIONE

LEGIS IN ISTA LECTIONE EXPLICANDÆ

DE

MILITIA TOGATA ADVOCATORUM

NONNULLA DISSERIT.

ERFORDIÆ

Typis JUNGNICOLIANIS.





* * *
Tilitatem utriusque mili-
tia, Sagata ac Togata haut
obscure indigitavit Iustini-
anus Imperator, dum in
proem. Inst. in pr. Impera-
toriam Majestatem non so-
lum armis decoratam, sed
etiam legibus armatam
esse debere, ait, ut non so-

lum in hostilibus praeliis victor existat, sed etiam per legi-
timos tramites calumniantium iniquitates expellat. Quem-
admodum enim militum Sagatorum occupationes aut
sunt, aut esse debebant, ut Patriam defendant, injurias vindi-
cent, hostes reprimant, socios juvent, verbo: ut saluti publi-
cae operentur: ita salus illa publica pari modo scopus mili-
tum Togatorum, aut est, aut esse debebat. Annon per il-
los etiam patria defenditur, injuria vindicantur, hostes
veritatis reprimuntur, socii ac Cives auxilia capiunt? Licet
enim militia proprie loquendo ad belli solum sectatores
spectet, qui vocantur milites armati, s. sagati, qui proprie
militare dicuntur, *v. l. 1. C. l. 9. ff. de jur. & f. ign. l. 18. de re
jud. l. 4. C. qui tut. dari poss.* De aliis tamen etiam analogi-
ce dici, constat. Ita eadem Advocatis tribuitur, in *l. 14. C.
de Advoc. div. Judicior.* Usurpatur & de iis, qui in scriniis
sacris militant, unde in specie dicitur literata *l. 8. C. de pro-*

xiiii.

xim. Sacror. scriin. Quædam porro militia vocatur Palatina
t. v. C. de privileg. eor. qui in sacro Palat. milit. eamque ex-
ercentes, non armis, sed consiliis opem ferre, & alia mu-
nia aulica obire solent, v. *Perez. in d. T. Præterea* in jure eti-
am Canonico militia datur, quæ Clericorum esse videtur,
in *can. si officia 2. Dist. 59.* Et tandem quævis functio pub-
lica hoc nomine insigniri videtur, in *l. 5. §. 8. C. qui milit.*
possunt vel non. Et illa militia ad differentiam prioris, Saga-
tæ, Togata appellari consuevit, à togâ, vestimento inter Ro-
manos usitato, qui jus togæ maximè inter privilegia Civi-
um Romanorum referebant, quò Reges & amici saltem
Populi, à Romanis fuere donati, v. *Grotius. ad l. 32. ff. de Jur.*
Fisc. Quia veste Pacis saltem tempore utebantur Romani,
vid. *Rosin. l. 5. Antiquit. cap. 32. lit. P.* Quamvis verò toga
fuerit omnium ordinum gestamen, Advocatorum tamen
præcipuè censebatur. Quod *Marcellus c. l. n. 3.* haud ob-
scure innuit *toga* inquit, est *vestimentum quo in foro amici-*
mur. add. *l. 15. Cod. Theod. de Senat. & Glebat. & c.* Inde mos
promanavit, ut Advocati, & Causarum Patroni, in specie
togati nominarentur. Add. *l. 6. C. de Advoc. div. Judiciorum,*
l. 3. C. de Sportul. Cic. lib. 1. de Orator. p. m. 81. Quem-
admodum autem tempora Pacis Bello esse præferenda
vix inter bonos dubium habet, cum Ipse Summus rerum
omnium Arbitrator, DEUS Pacis dicatur, & Pax aurea nutrix
bonarum artium, ac affluentia omnis propagatrix, atque
mater dicatur, quæ horrentia Martis arma, populorum,
urbium, agrorum vastationes, ac depopulationes, savi-
simos belli fluctus, beatâ tranquillitate compescit; Et
pax ista triumphis, innumeris potior, dicitur; Ita quidem
citrà dubium idem circâ bella forensia obtinet, ut certè
beatus ille sit, qui lites forenses fugitans, jus fasque citrà
rixas, ratione controversiis forensibus longe nobiliori, cu-

rat, atque ad honestè vivendum, neminem lædendum, su-
um cuique tribuendum, omnia boni viri, justique Civis
munia, studiosè fovet. Hinc tritum est *Chilonis Lacedæ-*
monii præceptum, aureis literis Delphico templo, referente
Plinio lib. 7. cap. 32. consecratum: *Eris alieni, atque litis,*
Comitem esse miseriam. Ac planè inter ea, quæ ad benè
beateque vivendum pertinent. *Martialis* primo loco po-
nit: *Lis nunquam.* Hinc *Ulpianus* in *l. 4. §. 1. ff. de alien. jud.*
mut. ca. Verecundam cogitationem ejus, qui lites execratur,
non vituperandam, ait. Ast cum corruptis Primorum Pa-
rentum lapsu viribus humanis, dissidiorum autore Satanâ
non feriante, ultimâ præsertim hæc mundi Senectâ, bellâ
forensia è societate hominum extirpare penitus, & extin-
guere, humanarum virium minimè sit; gratâ mente, sed
sobriè, & cautè, amplectenda sunt, necessitate ita exigen-
te, remedia, quæ Divina benignitas, huic rei clementer in-
dulset; quibus ritè adhibitis, unusquisque quod suum est,
consequi, tuerique, adeoque Justitia frui, queat. Hinc
Anastasius Imper. laudabile, vitæque hominum necessari-
um esse Advocationis officium, inquit in *l. 4. C. de Advoc.*
divers. Judic. Quod ipsum majoribus encomiis orna-
runt Imperatores in *l. Advocati 14. C. de Adv. div. judicior.*
Ubi gloriosæ vocis munimine confisi, laborantium spem,
vitam, & posteros defendere, & non minus providere hu-
mano generi Advocati dicuntur, quàm si præliis atque vul-
neribus, Patriam, Parentesque salvarent; Cum verò ipsa
rerum magistra, experientia, raros ferè hodiè esse tales sa-
lutis publicæ & privatorum defensores, fideles Advocos,
indè non ad omnes encomia ista pertinere, adeò morum
nostri temporis mutatio comprobavit, ut hodiè Advocata-
tus publicus ferè populi odium sit, & usque a deo detesta-
bilis invisusque existat, ut ipso nomine abominabilem se
facere

facere videatur, & cum averfentur plerique omnes. Quo enim tempore integra fuerunt judicia, & postulare non a-
liis, nisi qui gravitate, & fide præditi essent, quive insigni e-
ruditione excelleret, honoratum admodum fuit officium
Advocati. Postquam verò eandem hanc provinciam in-
volarunt, & in foro causas agere ceperunt homines pror-
sus illiterati, protervi, impudentes, audaces, importuni, ju-
ris & Justitiæ corruptores pessimi, mirum non est, degene-
rasse usum vocabuli, & propter ista fori carcinomata, ho-
nestissimum ordinem turpiter infamantia, ipsum quoque
illud tantum non probro, atque dedecori esse coepisse; Cer-
te tam exosum istud apud nonnullos redditum fuit, ut puta-
rent, male omnino secum agi, si quando ex Advocatorum
Consiliis regi se oporteat. Uti conqueritur B. Ziegler. in
egregio Tract. de *Rabulistica*, s. *artibus Rubulariis*. In cujus
frontispicio locum è *Tertull. de Pall. cap. 5.* allegat: *Plus to-
ga lævere Rempubliam, quam lorica.* Causam huic rei de-
derunt innumera illæ rabularum fraudes, & officia, quib-
us Justitiæ & Judiciorum sanctitatem contaminare, & pes-
sime conspurcare sæpius tentarunt, et etiamnum tentant.
Hinc tot tantæque ratione causarum forensium querelæ,
tot contumeliosæ voces, & convitia, quibus apud Græcos
& Latinos passim excepti fuerunt Causidici, originem tra-
xerunt. De Germanis *Florus Lib. 4. c. 12.* refert, quibus vi-
ctores in causidicos sævierint modis. Aliis oculos, aliis ma-
nus amputasse: unius os futurum, rescissa prius lingvâ. De
fato *Ciceronis*, disertissimi apud Romanos Oratoris, refert
Dio. Lib. 47. qualibus caput ipsius à *Fulviâ*, *Antonini*
uxore exceptum fuerit injuriis. Plura occasione *L. Ad-
vocati 14. C. de Advoc. div. Judicior.* huc facientia, in medi-
um proferet in lectione suâ cursoriâ,

NOBILIS ET CLARISS. JERIUM CANDID.

D O M I N U S

JOH. HEINRIC. SCHMIDIUS,


MACRO-SAARA VARISCHUS


De Cujus vitæ curriculo sequentia nunc referenda: Natus is est *Macro-Saara*, in Comitatu *Rutheno-Geraciensi* litæ, die 24. Dec. & pasceves ad festum Nativitatis Christi, A.o. recuperatæ salutis MDCXCIII, Patrem veneratur adhuc superstitem, Virum Plur. Rever. Dn. M. JOH. HEINRICUM SCHMIDIUM, Pastorem Ecclesiæ Macro-Saarenfis, unde triginta annos benè meritum. Matrem habuit, (ante sex, & quod excurrit annos p. defunctam) ELISABETHAM MARGARETHAM, Nob. quondam & Consult. Dn. JOH. GEORGII BLEYMÜLLERI, primum Curia Variscorum Pratoris, Urbani, deinde Præfecti simul, & Consiliarii Schoenburgico-Waldenburgensis. Filiam unicam, Matronam honestam. Adultior paulò factus, vestigia Parentis Avi que B. premere, & Studiis se mancipare, cum DEO sibi proposuit. Quod propositum approbantes Parentes charissimi, Illum antè omnia post pietatis fundamenta in literarum rudimentis institui curaverunt, usi operâ, ac manu ductione fidelissimorum Præceptorum privatorum; Inter quos gratitudinis affectu, jure recitat Dn. JOH. WOLFFGANG. SCHOEPFIUM, Wonfidelientsem, & Dn. JOH. HENR. HENDELIUM, Adorfientsem, utrumque tunc Theol. Studiosum. Jactis autem feliciter his fundamentis, ipse Pater manum admovit, & nostrum in lingvis, ac humanioribus Studiis aliis, Logicâ itid. & Rhetorica, nec non in rebus Theologicis instituit. Quo factò, ut eos cotem acueret, & ut non in litteris solum, sed & in bonis insuper moribus aliorum exemplis tantò melius pro-

proficeret, Ao. 1712. Geram, ob Regimien Illustre, Gymna-
sium, Mercaturam, & alia celeberrima, ipsum misit. Ulbi na-
ctus Praeceptores fidelissimos, Dnos M. GEORGIUM LU-
DOVICUM GOLDNERUM, Rectorem, & Dn. M. JOH.
HEINRICUM WOLFFIUM, SS. Theol. Baccalaur.
Conrectorem. Moratus ibi per tres anni quadrantes,
non sine studiorum augmento, eod. anno & quidem ad fi-
nem properante, ad nutum Paternum ibidem valedixit
publice, habita oratione super quaestione: An filius Pa-
toris Ecclesiae, salva conscientia studio juris se mancipare
possit? Domum post revocatus per integrum anni spati-
um, denuo a Patre dilectissimo, non solum in rebus Theo-
logicis sed & Philosophicis artibus, dexterrime imbutus
fuit. Paratus hoc modo & *in hoc* factus altiorum studio-
rum *disponens*, ut loquitur Aristoteles, ex arbitrio Parentis
honoratissimi Ao. Erae salutiferae MDCCXIII. Mens. Sept.
Jenam petiit Univerfit. Celeberrimam. Ulbi statim me-
mor propositi, ut praeeritis Paternis, Avi B. vestigia pre-
meret, acroases JCorum audire coepit. Frequenter au-
tem, & attentè interfuit lectionibus tam publicis, quam
privatis, Consultiff. Dnn. Professorum, & Doctorum. Et
quidem ad Jus Naturae audivit Dn. CASPARUM
ACHAT. BEKILEM, J. U. D. nunc P. P. *Pufend. tr. de Officio*
homin. & Civis explicantem: Inst. Just. explicationem hau-
sit ex ore Dn. D. & P. P. SCHROETERI, Dn. D. BECKII,
Dn. D. JOH. WILH. DIETMARII, & Dn. D. FRIEDER.
GOTTLIEB STRUVII, quem ut Patrem veneratur, filii
loco ab ipso semper habitus; qui B. Parentis Jurisprud.
Rom. Germ. bina vice ipse explicavit. Ad Pandectas Con-
sultiff. Dn. D. WILH. HIER. BRÜCKNERUM, Pand. P. P.,
Synopsis *Schaefferi*, nec non Dnn. Dd. SCHROETERUM,
& STRUVIUM, *Lauterbachii Compendium explicantes audi-*

vit. Addidit & Jus Feudale ad dūctum d. Dn. D. STRUVII
super *Stryk. Exam. Jur. Feud.* nec non Jus Canonicum super
Dessl. Erotem. Jur. Can. Jus Publ. ipsi explicavit Dn. BÜR-
KÄRD. GOTTHELFF. STRUV. *Hist. & Jur. P.P.* usq;
Syntagmate Juris Publ. à se ipso edito. Absoluto sic studio-
rum cursu, ad forum sese accinxit B. Avi vestigiis infi-
stens. Eum in finem Ao. 1716. *Geram* rediit, Doctorem
ibi nactus Dn. CHRIST. ERNEST. ROEGNER Advocat.
ibidem Celeberr. Indè Anno 1717. *Weydam* Variscorum a-
diit, & à Sereniss. quondam, nunc Beatiss. Principe Sax.
Mauritio Wilhelmo, diploma & licentiam in Ducatu suo
Advocati munus subeundi, nactus, ultra annum, et usq;
ad mortem desideratissimi Principis ibi commoratus fu-
it. Interim & Jenæ à Celeberrim. Dn. Consiliar. Cæsar. Ar-
chiatro & P.P. Dn. D. WEDELIO in numerum Notar. P.
Cæs. relatus fuit. Nunc ut ulterius & felicius in foro versari
posset, ad Examina publica Facult. nostræ se sistens, textus
more consveto ex utroque jure, Canonico & Civili expli-
candos ipsi transmissimus. Quibus satis bene in examine
rigoroso explicatis, hocq; examine feliciter peracto, ad ul-
teriora specimina ex decreto Facultatis admissus fuit, præ-
stito simul, de Justitiâ ubiq; & in foro præprimis servan-
da, Juramento. Proximo ergo die 8. Nov. post horam
antem. 8. lectionem suam cursoriam ad d. *1.14. C.d. Advoc.*
divers. Judicior. hacq; finitâ, Disputationem Inauguralem
DE INJURIA NOVERCARUM ACTIVA ET PAS-
SIVA B. c. D. in Auditorio Jctorum Majori habebit. Ad
quos Actus solennes, Magnificus Dn. Rector, & reliqui
Universitatis Nostræ Proceres, ac Cives, decenter invitantur.
Publ. sub Sigillo Facult. d. 12. Nov. Dom. 23. post. Tri-
nit. Anno MDCCXIX.

(L. S.)





77-α (1+12)


56.


ULB Halle 3
004 997 492



WDIP







Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

1749: 226 = 29

CULTATIS JURIDICÆ DECANI
ESTI TENZELII, JCTI,
 SIMO PR. ELECTORI MOGUNTINO A CONSILIIS
 JUDICII PROVINCIALIS ERFURTENSIS ASSO-
 SIS, AC CIVITATIS CONSULIS PRIMARIJ,
 D GRAMMA INAUGURALE
 QVO
 SINGVLOS VNIVERSITATIS PROCERES AC CIVES INVITAT
 AD AVDIENDAM
 M CURSORIAM Sup. L. 14. C. de Advocat. diversor. Judic.
 HACQVE FINITA
 DISSERTATIONEM INAUGURALEM
 DE
RIA NOVERCARUM
ACTIVA ET PASSIVA
 OBILI ET CLARISSIMO JURIUM CANDIDATO
 DOMINO
HEINRICO SCHMIDIO
 MACRO-SAARA VARISCO
 N AUDITORIO JCTORUM MAJORI
 D, XV, NOV, ANNI MDCCXIX. HABENDAS,
 ET OCCASIONE
 IS IN ISTA LECTIONE EXPLICANDÆ
 DE
ITIA TOGATA ADVOCA-
TORUM
 NONNULLA DISSERIT.

ERFORDIÆ
 Typis JUNGNICOLIANIS.

